



**R. P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère <1543-1623>**

**Mogvntiæ, 1617**

Cap. 4. De ministro Sacramenti Eucharistiæ

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78477](#)

Christi per accidens mouetur ad motum specierum: cum quibus eam Connexionem haberet, ut cum presentibus praesens sit: quo sit ut id ipsum corpus recte dicatur elevari, portari aliquo, ore sumi & in stomachum traiici, recludi allicubi, porrigi allicui, ab eo qui circa species sacramentalis talia facit, mouendo eas. Videri potest Suarez disp. 53. sect. 1. & addi ex praeced. disp. 47. lect. 4. qua possint & qua non possint Christo attribui respectu sacramentalium specierum quibus continetur in Eucharistia. Sunt enim scholastici instituti, & à nostro remotiora.

## C A P V T I V .

De Ministro sacramenti Eucharistiae, & primo  
prout eam consecrat.

## S V M M A R I V M .

- 40 Solus Sacerdos consecrandi potestatē habet à Christo.  
 41 Quilibet Sacerdos potest valide Eucharistiam consecrare.  
 42 Quomodo acipiendā sicut nonnulla dicit Patrum quibus contrarium significare videntur.  
 43 Difficilis, an plures Sacerdotes possint simul eandem hostiam consecrare.  
 44 De conjectudine qua noui Sacerdotes consecrant simul cum Episcopo ordinante.  
 45 Sumpcio Eucharistie sub iug. sp. c. solis Sacerdotibus consecrabitis est in precepto.  
 46 Obligatio Sacerdotis cel. brandi Missam.  
 47 An ea sit sub mortali: & pro quo tempore sit imposita.  
 48 Peccator publicus quis dicatur, quis suspectus, quis occultus.  
 49 Nunquam licet peccatore manentem in peccato mortali, invitare ad susceptionem Eucharistie. Nec unquam dare non consecratam pro consecrata.  
 50 Peccatori non resipicenti recusanda est Eucharistia, quando commode fieri potest. Nec item publico peccatori etiam resipuerit, nisi publice confiteret illius emendatione.  
 51 Quando tali occulti petenti daripotest: & quod non sit neganda peccatori occulto petenti publico.  
 52 Obiectio in contrarium cum solutionibus.  
 53 Quid agendum in hacre cum peccatore occulto.  
 54 Non licet hoc sacramentum suspecto de crimine, dare ad ipsius examinationem.  
 55 Quando ob suspicione criminis possit aut non possit alicui negari Eucharistia.  
 56 Modis quibus peccat quis indigne ministrando Eucharistiam.

**C O N S I D E R A R I** potest Eucharistiae Minister, tum quatenus eam consecrat, tum quatenus eam administrat. Ac qua priore modo ad eum spectant completemur aliquot questionum explicacione.

**P R I M A E S T :** An solus Sacerdos possit Eucharistiam consecrare. Respondet, certum esse de fide, quod solus possit. Ita enim habetur ex Concil. Niceno primo: prout refertur in cap. Peruenit. dil. 2. & ex Concil. Lateran. prout refertur in cap. Firmiter De summa Trinit. & ex Concil. Florent. in instruc. Armen. & ex Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. & ex Christi institutione, qui solis Sacerdotibus dixit: Hoc facite in meam commemorationem: ut semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit: quemadmodum ibid. habet Concil. Trident. & aduersus haereticos nostrorum temporis, defendant Bellarm. in lib. 4. De Eucharistia cap. 16 arque alij quos Suarez commemorat tom. 3. d. sp. 61. sect. 3. dil. 10 primo. Pro eo vero ratione hanc adferit D. Thom. quest. 82. art. 1. Sacramentum Eucharistiae est tantæ dignitatis, ut non nisi in persona Christi perficiatur, iuxta antedicta num. 35. Quandocumque autem quis quid agit in persona alterius, oportet ipsum potestatem agendi habere ab eo in cuius persona agit. Nullus est autem praeter Sacerdotem, de quo rationabiliter dici possit, consecrandi potestatem habere in Christo. De illo vero rationabiliter dicitur: quia Christi institutione, sicut ei qui baptizatur, sit a Christo potestas suscipiendo Eucharisti-

stiam: ita & illi qui sacerdotio initiatur, sit potestas consecrandi Eucharistiam, tanquam constituto in gradu eorum, quibus dictum est ab ipso Domino: Hoc facite in meam commemorationem. Ad quod facit Exceptus Ecclesiae vsus, quo nulli alteri permittitur talis actus: ne quidem in casu necessitatis, aut ex quacunq; dispensatione, prout ibidem expressit Suarez.

**S E C U N D A E S T :** An qui quis Sacerdos consecrare possit Eucharistiam? Respondet, quemlibet Sacerdotem eo ipso quod characterem habet Sacerdotalem, valide, etiam si non semper luce, posse Eucharistiam consecrare, siue peccator sit, siue iustus; siue etiam haereticus, vel schismaticus, siue excommunicatus, vel suspensus, aut interdictus, siue irregularis, aut degradatus: dummodo integre proferat verba sacramentalia super debitam materiam, idq; cum intentione facienda quod Christus instituit, iuxta primum documentum traditum in praeced. lib. 26. num. 36. Quae est doctrina D. Thomae quest. 82. art. 5. 7. & 8. Et probatur; quia tunc ex parte materia & formæ nihil deest, nec item ex parte ministri. Non quidem intentio, quia quantumcumque aliquam particularem habeat in debito; ea tamen, quantum sufficit ad validitatem sacramenti, corrigitur per illam generalem quam habet, faciendo quod Christus instituit. Nec item deest potestas: quæ sufficiens sequitur characterem impressum in susceptione Ordinis: neq; ea amittitur: sicut nec idem character, qui indelebilis est ex Concil. Trident. sess. 7. Descriptum in genere, can. 9. & sess. 23. cap. 4.

Vnde quod nonnulla decreta & testimonia Pontificum, ac sanctorum Patrum significare videntur haereticos & schismaticos non posse perficere consecrationem, exponendum ait Suarez in fine eiusdem sect. tertie, quod licet sacramentum debitus est, ut sensus sit, non posse licite consecrare ob Ecclesiæ prohibitionem: non autem id tentare sine effectu, ob defectum potestatis, quæ nequit tolli eis, cum, ut diximus, sequatur characterem indelebilis. Quia de causa Sacerdotes ab haeresi ad Ecclesiam redeentes non ordinantur de novo: ut constat ex eiusdem Ecclesiæ usus ac consuetudine, pro qua est textus in cap. Ordinationes 9. quest. 1. Idipsum quoq; exponi nonnunquam potest, ut Suarez addit, de consecrationibus, quæ quia non sunt debito & essentiali ritu, nullæ sunt, quales hodie sunt à Lutheranorum Ministris ordinatis inualide, ob defectum ordinis Episcopatus, in ordinante.

Tantopere autem cura est Ecclesia, ne quis perperam tanto ministerio se ingrat, ut nec debite ordinatum, & carentem impedimento, velit ad illud admitti in aliena die ecclesiæ sine commendatibus sui Ordinarii literis, ex Concil. Trident. sess. 22. in decreto De euitandis & obseruandis in celebratione Missæ, & in sess. 23. c. 16. De reform. itemque ex cap. Primatus, & cap. Extraneo. distin. 71. Quamquam tamen nec admittens, nec admissus incurrit aliquid irregularitatem: quia nulla talis in iure expresa est, prout ad id requiritur ex cap. Is. qui, De servienti ex com. in 6. Ita docet Nauar. in lib. 3. confil. titul. De celebr. Miss. consil. Vbi etiam habet quod Clericus peregrinus faciens fidem iustum de sua ordinatione possit admitti ad feceret celebrandum: argumento cap. primi, De Clericis peregrinis: eundem tamen Clericum non excusat à peccato negligientiae commissæ, nec eo quod non procurant sibi commendatibus literas.

**TERTIA QVÆSTIO E S T :** An plures Sacerdotes simul possint eamdem hostiam consecrare. Hæc proponebitur, ut intelligatur qua ratione sit acipienda confutatio, quæ in Ecclesia Latina seruatur; ut qui ordinati sunt noui Sacerdotes, consecrant eamdem hostiam cum Episcopo ordinante. Explicatio vero illius est hæc. Eadem ratione qua de baptismō dictum est in praeced. lib. 27. num. 43. non posse conferri simul à pluribus, dicendum etiam est plures Ministros ad eandem hostiam consecrandam non posse concurrere tanquam partiales causas: ita scilicet ut unus proficeret unam formæ partem, & aliis aliæ, vel non intendat consecrare integre, sed dependenterab alterius concursu. Quorum neutrum esset secundum Christi institutionem, communis Ecclesiae usus sat ostendit.

dicit eo quod ordinarii unus solus consecret: tanquam Christus voluerit cuiusq; Sacerdotis sacramentalia verba causam esse sufficientem, ac integrum consecratio-

nis. Posse autem plures concurrere, si integre proferant formam, & quisque habeat intentionem perinde consecrandi, ac si lonus proferret formam. Ratio est: quia ille plurium concursus, non impedit quod minus adline pessaria ad conficiendum sacramentum: nempe materia & forma debita, cum sufficiente potestate, & intentione Minstri. Quod tamen verum est tantummodo, cum omnes ita proferunt formam ipsam, ut illam in eodem instanti absoluant. Nam si unus ante alios absoluat, si solus consecrabit: quia forma integre prolata, non potest suspendi consecrationis effectus: cum verba sacramentalia ad modum causa physica necessaria operentur: ita ut eorumdem verborum prolatione & significacione ablatura, sequatur effectus, quem illa ex Christi institutione producunt significando: sicut sit vix reliqui posterius prolationem ab oluentibus nihil efficiant ob defectum materie que per precedentem prolationem, mutata in corpus Christi, desit esse.

Id quod Theologis Scholasticis negotium exhibet in docendo quare ratione, supradicta consuetudo licita censetur posse: cum in praxi difficultimum sit, secundum eam consecrantes simul, ita simul finire, ut nullus alium praeveniat. Quid vero illi dicant referat Suarez dis. 61. sect. 4. nechabit quid certo statuat. Vnde addit ad extrellum in retam lubrica ad vitandum peccatum, Cajetani consilium sequendum esse, ut noui illi Sacerdotes intendant proferre consecrationis verba meliori, quo possunt modo; nempe non praeveniendo Episcopum in illorum prolatione, quia facerent contra Ecclesiae intentionem factis indicatam in Pontificali Romano, cum admonetur Episcopus ut alte & paulatim dicat verba, quo ceteri possint simul cum eo dicere, & quoad fieri potest simul absoluere. Deinde habendo intentionem disiunctam, vel consecrandi cum Episcopo si possint, vel alioqui proferre verba solum materialiter intendendo scilicet illa proferre in signum potestatis sibi concessae; & in memoriam illius scenae, in qua Dominus cœnans cum suis discipulis, eamdem potestatem ipsis concessit.

**QVARTA QVÆSTIO:** An teneatur Sacerdos quoties consecrat, sub utraque specie consecrare, sic & sub utraque sumere Eucharistiam? Ad hanc cum D. Thoma quæst. 82. art. 4. respondendum est affirmatiue, per cap. Relatum. & cap. Comperimus, De consecr. distinct. 2. ita ut grauter peccet securus faciens: quia diuino iure ad integratim sacrificij quod peragitur a Sacerdote, dum hoc sacramentum perficitur, pertinet consecratio sub utraque specie, prout expositum est in præced. cap. 2. qu. 3. Atque ut dicitur in cit. cap. Relatum, qui sacrificantes non edunt, reisunt Dominicis sacramenti. Quale enim, vñ ibid. ad litteras, erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans participes esse dignoscitur? Modis ergo omnibus, prout ibidem concludetur, tenendum est, ut quotiescumque sacrificans corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altari immolat, roratus perceptionis corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi participem se prebeat. Ceterum alteri quam Sacerdoti consecranti concessum non est Eucharistiam sub utraque specie sumere ex Concil. Constantiensi sess. 13. vbi sub pena excommunicationis præcipitur, ut nullus Presbyter communicet populum sub utraque specie panis & vini. Et ex recepta Ecclesiae consuetudine, quæ in eod. Concil. approbaratur, & in Concil. Trid. sess. 21. cap. 1. & can. 2.

**QVINTA QVÆSTIO EST:** An Sacerdos sub peccato teneatur aliquando ut potestate quam habet consecrandi? Respondetur, hanc esse eandem cum illa qua queritur, ut licet Sacerdoti abstinere omnino à celebratione Missæ. De qua, certum est, Sacerdotem curam animarum habentem teneri ratione sui officii, Missam aliquando celebrare; nempe tunc cum populus debet ei interesse: ut diebus Dominicis, & ceteris festis: vel quod non habet hostias consecratas ad communicandum

moribundos, aut alios Eucharistiam perentes: teneatur enim ex officio talibus necessitatibus populi sibi commissi prouidere. De ceteris Sacerdotibus vero D. Thom. quæst. 82. art. 10. vnumquemque corum teneri aliquando celebrare, inde probat; quod vñusquisque teneatur ut gratia sibi data, cum fuerit opportunum: iuxta ilud posterioris ad Corinth. cap. 6. Exhortatur ne in vacuum gratiam Dei recipiat. Ea autem opportunitas, ut ille addit, attendenda est, non solum per comparationem ad fidèles: sed etiam per comparisonem ad Deum: cui in consecratione huius sacramenti, sacrificium offertur. Vnde concludit, Sacerdoti, etiam non habeat curam animarum, non licet omnino à celebratione cessare, sed teneri celebrare saltem in festis præcipuis: præterim iis in quibus fidèles confuerunt communicate. Certe Dominus dicendo Matth. 26. & Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem, non tantum deit Sacerdotibus omnibus potestatem consecrandi, sed etiam præcepit ut consecrarent ex Concil. Trid. sess. 22. cap. 1.

Quod præceptum, an sub mortali obliget, gratis difficultas est: pro qua rationes & authores in utramque partem adferunt Suarez dis. 80. sect. 1. merito indicans affirmantem esse ut ratio eius, sic & probabiliorem. Consumatur vero, quia: ut pro ea bene virget Sors in 4. distin. 13. quæst. 1. art. 10. Si in quoquam casu, maxime in hoc in quanto opere ad Dei gloriam refert ut potest ab ipso accepta ad usum reducatur) loam habere censendum est: quod Matth. 25. & Luc. 19. ille qui talentum reseruauit in sudario otiosum missus sit manibus & pedibus ligatis in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. Itaque licet contraria sententia non sit omnino dambanda cum bonos habeat authores, & rationes probabiles, ut videre est apud eundem Suarezium: hæc tamen est in praxi consulenda: tum quia est magis pia ac magis consentanea dictam rationis supposita rei dignitate, & immenso fructu tam defunctorum quam viuis ex ea proueniens: tum quia sententia contraria vix in praxi potest seruari sine scandalo, quandoquidem communiter diuturna nimis omissione celebrationis diuini sacrificii in Sacerdote, existimat signum esse pravae conscientiae & perdite vitae, quasi talis omissione co referatur, ut peccandi licentia non impediatur.

Si queras pro quo tempore obliget tale præceptum: cum enim sit affirmatum; non pro omnibus sed pro aliquo tantum tempore obligat? Respondeatur, determinacionem talis temporis committi iudicio iei prudentis, D. Thomas autem in locum istato fuit, tale tempus esse præcipiuorum festorum: maxime eorum in quibus fidèles communicate confuerunt: nempe, ut loco cit. Sors interpretatur congruerent antiquori Ecclesiæ consuetudini, in festo Nativitatis Domini, festo Paschalis, & festo Pentecostes. Ut vero idem Sors purat, ad vitandum peccatum mortale, sufficit; sive illis, sive aliis diebus, dummodo in Paschate communicent, & vel quater in anno Sacerdotem celebrare. Cui facit cap. Dolentes, de celebribus Missarum, in quo Summus Pontifex reprehendit eos, qui vix quater in anno celebrant, & faciens nominatum mentionem de prædictis festis. Nec obstat his quo in Concil. Trid. sess. 23. cap. 14. De reform. iubentur Episcopi curare ut Sacerdotes celebrant Dominicis salte diebus, & festis præcipuis: & qui curā animarū habent dies, ut maneri suo satisfaciant. Nam dat præcerum Episcopis, non autem Sacerdotibus: qui proinde ante quatinus aliud iniungatur, non habent maiorem obligationem quam habuerunt ante id ipsum Concilium.

#### RELIQVA PARS CAPITIS.

De eodem Ministero quatenus Eucharistiam ministrat.

**SEXTA QVÆSTIO EST:** An solus & omnis Sacerdos possit ministrare Eucharistiam? Cuius explicationem trademus in sequentibus agendo de præcepto sumendi Eucharistiam. Tunc enim inter cetera docendum est, de cuius Sacerdotis manu Eucharistia ipsa sumi debeat ad talis præcepti adimplitionem.

48.

**SEPTIMA QVÆSTIO EST:** Vtrum Eucharistia Minister possit eam ministrare peccatori?

Pro cuius explicatione trademus aliquot documenta, præsupposito quod peccator alias sit publicus, alias suspectus, & alias occulus. A publicum dicendum, qui vel per Iudicis sententiam condemnatus est de crimen, vel in iudicio confessus est illud, vel factum ipsius criminosum ita manifestum est, ut nulli tergiversatione celari possit ex cap. fin. De cohabit. Cleric. & mulierum. Suspectum vero dicendum, qui liget nullo ex tribus illis modis de crimen coniunctus sit, paucissimique sint, qui peccatum eius certo sciant, apud alios tamen, est publica suspicio, aut rumor, & aliqua publica infamia, inde orta. Unde ipsum peccatum eius dicitur occultum quidem, sed famosum: de quo in cap. Tua nos, De cohabit. Cleric. & mulierum. Occultum denique peccatorum esse eum, qui vel à solo Sacerdote cognoscitur: vel ab aliis quidem paucis, sed nulla publica suspicione, vel ramore publico laborat.

49.

Primum igitur documentum est: Non esse licitum Sacerdoti peccatorem illum, sive publicum, sive non publicum, quamdiu in eo statu perseverat, inuitare ad Eucharistiam suscipiendam, etiamsi consulere possit ut penitentiam agat, & sic communicet. Ratio in promptu est, quia de se malum est communicare in statu peccati mortalium. Ergo nunquam licet illud consulere. Si opponas Christum Dominum nostrum cum generaliter dixi Discipulis, Comedite eu bibile ex eo omnes, inuitasse cum ceteris Iudam, non magis quam ceteros pertinet Eucharistiam: Respondet Suarez d. sp. 57. s. t. 1. Christum non induxit Iudam, ut in prauo suo statu communiqueret: immo omnem adhibuisse diligentiam, ut eum bene disponeret, ciusque cor immuraret. Necq; ei non poterit porrexisse Eucharistiam, quia hoc ipse, quod ibi assistens volebat cum ceteris communii illo coniuicio fu; nec ab eo excludi, virtualiter eam petebat sicut ceteri.

50.

Secundum documentum est: In nullo casu licere, peccatori Eucharistiam pertinenti porrigere hostiam non consecratam pro consecrata. Hochabet D. Thom. quest. 80. art. 6. ad 2. & cum ipso Sylva. Eucharistia 3. q. 5. in fin. & Sotius in 4. d. sp. 12. q. 1. art. 6. ad 2. Ratio est autem, quæ attingitur in cap. De homine, extra De celebr. Missar. quod tales porrigen, quantum in se est idololatriæ faciat, non minus quam si fingens se celebrare, hostiam non consecratam ostendat populo adorandum. Præcedit vero documentum hoc, non tantum quando nescienti, sed eriam quando scienti & volenti trictionem eam, talis hostia porrigitur, prout docet Suarez in ead. d. sp. 67. s. t. 4. circa 3. objectionem: cuius fundamentum est, quod per se malum sit, ut aliquis sciens & prudens proponat alteri creaturam adorandum cultu diuino, ac mentiatur id esse Deum, quod reuera non est.

Tertium documentum est, simpliciter loquendo, & maxime cum commode & sine inconvenienti fieri potest: Sacerdotem debere hoc sacramentum negare peccatori non resipienti, etiamsi illud perat. Ratio est, quia obligatio exhibendi reuerentiam huius sacramentum, & digne illud tractandi, naturalis est, ex intrinsecâ ipsius dignitate orta. Ad quam reuecentiam pertinet obligatio non dandi id ipsum sacramentum indignis: sicut & non proiiciendi illud in locum immundum. Cuiusmodi obligatio tunc maxime viget, seruandaque est, quando sine inconvenienti seruari potest. Non est, quod quis opponat, peccatorem per susceptionem baptismi acquiescisse ius pertendi alia sacramenta: quia ius illud, sicut non est ad usum sacrilegum: ita nec ad sacrificiam & Christo iniuriam petitionem. Hincq; sequitur quod notat Suarez sub finem prius citata sectionis primæ. Sacerdotem in peccato mortali communicantem seipsum, committere peccatum duplicitis malitia in confessione aperienda; quarum una est malæ ministracionis; & altera malæ susceptionis: non minus quam si alteri indigne ministraret, aut ab altero indigne susciperet.

Quartum documentum est: Publico peccatori etiam emendato, ut visurario, vel meretrici; aut alteri similiter

exercenti actionem, quam ex obiecto, aut modo quo sit, manifestum est peccatum mortale esse: Eucharistiam publice pertenti non esse dandam, nisi publice satisfactione exhibuerit, vel saltem emendatio ipsius publice manifesta sit. Pro quo facit cap. Pro dilectione, & cap. Scenice, De confess. dist. 2. Et prior pars ex eo patet, quod alias datetur alioqui occasio scandalii. Posterior vero ex eo, quod talis satisfactione & emendatio publica sufficiat ad tollendum scandalum: atque ut tam coram Deo, quam coram hominibus sacramentum digne tradetur.

Cæterum in articulo mortis, ut habeat in fine sectionis 2. Suarez satis est si publicus peccator pro temporis opportunitate, vel confiteatur, vel signa contritionis exhibeat, quia periculum, & virgins necessitas facit, ut non exigatur maior diligentia, quam ipse possit commode exhibere: presumendumq; sit in eo articulo facere quod potest ad se sufficienter disponendum. Attamen ex Casan. in verbis, Communio, sub finem, ut scandalum prouideatur, publicanda est emendatio. Addo quod habet a Victoria in summa, De sacram. num. 80. non esse publico peccatori negandam Eucharistiam, in loco ubi non est notus, nec facile detegetur ipsius crimen.

Quintum documentum est: Ut publico peccatori occulte pertenti, dari possit Eucharistia in occulto: sufficere quod occulte egerit penitentiam, seu quod debite confessus fuerit, idque constet. Sacerdoti daturum, ac aliis qui forte adsunt peccatum scientes. Ratio est: quia quod Deum, dispositus est per penitentiam: & quoad homines manifestatio emendationis adeat sufficiens ad tollendum scandalum. Cavendum est tamen ne suscepit Eucharistia paulo post manifesta fiat emendatione manente occulta, quia non vitaretur alioqui sufficienter scandalum.

Sextum documentum est: Sacerdotem non posse negare Eucharistiam peccatori occulto illam publice pertenti. Quod fundare in ratione, est satis difficile, ut bene ostendit Suarez d. sp. 67. s. t. 4. Nobis autem sufficit autoritas factorum Canonum: Nam in cap. Sitanum, & in cap. Placuit, 6. quest. 2. cauetur ne Episcopus quemquam publice à communione repellat propter peccatum quod probare non potest: & in cap. Si Sacerdos, De officio Ordinarij, idem satis insinuat, cum Sacerdos prohibetur nominatum removere à communione eum, quæ fecit reum, si non sciat ut ludeo: sive, quod eod. m. recidit, non sciat publica, sed priuata tantum scientia. Vbi aduentum est ad Ecclesias, sicut & alterius Reipubl. conuenientem gubernationem pertinere, ut communia bona, quæ publice dispensanda sunt ac distribuenda iuxta merita & dignitatem singularium personarum: pertinere, inquam, ut à ministro publico, ad id manus autoritate publica constituto, dispensentur; non iuxta priuatam ipsius scientiam, sed iuxta publicam & notoriam: alioqui modus dispensandi, moraliter loquendo, expositus esset multis scandalis & iniuriis: vnde contra bonum commune perurbationes, & rixæ, & odia orientur. Eucharistia autem est bonum commune, ad quod ut conficiendum, sic & distribuendum Sacerdos autoritate Christi institutus est minister, ex Concil. Trid. sess. 22. cap. 2. Quo fit, ut in tali distributione sequi debeat publicam, non autem priuatam scientiam, ideoq; peccatori occulto illam publice pertenti, non negare.

Sed tria obici possunt contra propositum documentum. Primum est de se malum esse Eucharistiam ministrare indigno: sicut & proiicere in locum immundum. Alterum est, quod sumens Eucharistiam indigne, reus sit corporis & languinis Domini: idque pertinet etiam publice, non sit danda, sicut nec redditus est enis ei, qui scitur illo accepto, se vel alium confosurum. Tertium est, magis vitandam esse iniuriam Christo inferendam, quam detrimentum temporale hominis. Quare ad cauendum ipsius infamiam, non est danda ei Eucharistia cum Christi iniurientia.

Ad primum autem respondet: Actionem proficiendi Eucharistiam in locum immundum ex se determinatam esse ad malum (vtpore, quæ per se loquendo, deformitatem ha-

REGI  
PRAY  
FOR J  
EAN

tem habet ex proprio obiecto] non item actionem dispensandi illam homini indignum, ut patet ex facto Christi, qui dicens Apostolis Matth. 26. Bibite ex hoc omnes, Iudam quem in indigne sumptuum sciebat, non exclusa sumptione. Non igitur adeo mala est talis actio, quia possit seruitus debitum circumstantiis bona conferi: nempe agens bonam intentionem habeat, nulloque modo cooperetur, vel causam deinde dignam sumptionem: sed huius malitia tota si ex prava sumptuatis voluntate. Item si pro suo munere debeat vacare tali actioni, neque mortali commoditatem habeat impediendi detrimentum quod ex illa alter, sua tantum malitia, accipit. Nam tamquam publicus dispensator boni communis, nullum in functione eiusdem sui maneris excludeat legitime potest, nisi publica sententia cognitum indignum.

Ad secundum: Actionem reddendi gladium deos-  
tum, esse omnino priuatam: ideoque directionem illius  
secundum circumstantias occurrentes posse contentam  
esse scientia priuata. Actionem vero dispensandi Eucha-  
ristiam esse publicam & communem: ideoque requirere  
scientiam publicam, ut præhabitum est. Vnde quamvis  
contra conscientiam male agere censeatur, qui gladiu-  
dar ei, quem probescit pererupta voluntate occidendi pe-  
tere: non tamen es qui Eucharistiam portrigit indigno,  
nisi publica scientia cognoscet indignum esse.

**Ad tertium:** Exante memorato factio Christi satis intelligi, quod ipse malit ab hiis sacramenti ministris permitri talem iniuriam, non irreparabilem, ei fieri, alterius prava voluntate, cui illi obuiare nequeunt: quam indebito modo sacramentum hoc ministrare: prout fieret, si non publicam, sed priuatam scientiam in ministrando ferverentur.

Caterum ex Soto in 4. distinct. 12. quæst. 1. art. 6. circa 2. conclus. (quod etiam tangit Suarez in fin. 4. sectionis citata) differentia aliqua est in hac re, inter eos qui curam amarum habent, & cateros Sacerdotes: quod hi cum non teneantur ex proprio officio peccatorum ministrare Eucharistiam, quam publice petit: facilius quam illi sine scandalo & infamia negare possint, quando nondum sunt ad ministrandum expositi: ut antequam eant ad altare. Postquam vero iam expositi sunt, actuq; dispensant sacramentum, si cum aliis ad hunc ipsum peccator accedit, non possunt magis illum repellere, quam proprius Parochus, quia nec Christus iudicari repulit. Porro quod in hacre de peccatore occulto statuitur, statui posse partire excommunicato occulto; argumento est, quod per privilegium Concilij Constantini nisi permisimus lit in sacramentorum vnu cum eis communicare. De eo diximus in prima parte lib. i.c. 9. sect. posteriore.

Septimum documentum est: Sacerdotem teneri Eu-  
charistiam negare peccator occulto, perenti occul-  
te, Hoc à multis Theologis receptum referens Suarez in pre-  
ced. sed. 3, probat tum auctoritate Canonis, Si tantum, 6.  
quæst. 2, tum ratione, quia peccator ille non habet reuera-  
ius petendi; cuius, tanquam indigni, petitio est iniqua &  
scäfegla: & potest illi sine incommodo denegari. Ne-  
que enim ex denegatione sequetur infamia, vel scandalum,  
cum torum occulite transfigatur. Id quod idem do-  
cet procedere, tam quoad Pastorem illius qui petit, quam  
quoad alium. Nam si peccator nullum habet ius ad Eu-  
charistiam petendam in suo malo statu: nec pastor ipsius  
maiorem obligationem habet ei tunc dandi, quam quia  
iuslatus Sacerdos. An procedat etiam quando peccato-  
ris crimen notum est Sacerdoti tantummodo ex sacra-  
mentalí confessione: opiniones in vtræque partem idem  
author refert, affirmantem existimans probabiliorem:  
quia ad clauium potestatem, quam in penitentiali foro  
Sacerdos ipse exercet, pertinet ut indignum à commu-  
nione arceat, quando potest sine violatione vel suspicio-  
ne violationis sigilli sacramentalis, aut periculo scandali  
vel infamiae.

Addit adhuc idē pro praxi: si Confessario non conster-  
teto de malo statu penitentis, sed inter hunc ipsum sit  
opinionum diuersitas, sicut non debet ei denegare ad so-  
lutionem sacramentalem, ita nec debere Eucharistiam.

Octauum documentum est: Non licet Eucharistiam suspectis de aliquo crimine dare in probationem seu examinationem criminis, de quo Sotius in fine tractat. & post ipsum Suarez alius citans in disput. 57. sed. 6. Probatur autem, tum auctoritate cap. Conclusio, 2. questi. 4. & cap. Ex tuarum, De purgat. Canonica, & ex capite Dilecti, De purgatione vulgata: in quibus id genus probationis seu purgationis reprobatur: tum etiam ratione: quoniam enim ad fine sumete sacramentum, esttentare Deum, petendo ut facias miraculum: quod, exigi ab ipso, nec vultum promissum ipsius, nec ratio suades, quæ alias dicit, vanum esse absq; diuinæ promissionis fundamento estimare, quod quis eo ipso innocens habendus sit diuino iudicio, si de crimine suspectus sumat Eucharistiam, nec Deus quidquam iniustatum in eo operetur.

Non obstat vero lex zelotypia Numerorum cap. 5: quæcum fuerit à Deo instituta; age secundum illam ad tollendam suspicionem, non erat Deum ipsum tentare; sed conformare se ipsius voluntati & permissioni. Nec item obstant cap. 3. xpe contingit, & cap. Si Episcopo, 2: quæst. quibus approbatur sumptio Eucharistie ad tollendam suspicionem criminis. Nam, ut loco cit. Suarez ex D. Thoma & quibusdam aliis annotat, intelligenda sunt approbare talen sumptionem; non quidem factam per modum tentationis Dei, quod est intrinsece malum; sed per modum gratius intantum quod sancte fieri potest: etiam si non parato illud exigere fit periculosum & expositum sacrilegio, irreuerentiaque grati istius sacramenti. Vnde sublatius est illius vñs: prædictis canonis sunt contraria constitutio abrogata. Vnde etiam reprehendendi sunt mariti, qui vxoris, vt se adulterii suspicione liberent, interdum cogunt accedere ad sanctam communionem.

Nunquam documentum est: Nonnunquam posse, non  
unquam non posse negari alicui hoc sacramentum pro-  
pter solam criminis suspicionem. Hoc ibidē habet Sua-  
rez. Et probatur, quia cum suspicio triplex sit, temeraria,  
probabilis, & violenta: certum est primam non sufficeret  
quia cum nullo rationabili fundamento nitatur; impro-  
babilis est & iniusta. Nec item secundam, quia et ha-  
beat sufficiens fundamentum ad excusandum iudicium  
temerarium, non tamen ad sic firmandum iudicium ve-  
rum, ut de altero credi debeat quod is amiserit ius peten-  
di sacramentum, tanquam indignae illud suscepimus.  
Sufficerat autem tertiam suspicio nem ex communī The-  
ologorum sententiā aliquot citatis idem Suarez addit: quia  
violentia suspicio nititur talius signis & iudiciis: quæ li-  
cet non faciant euidentiam rati in se, sufficiant tamen ad  
probabile iudicium ferendum, quando in contrarium  
nihil est quod excusat, suspicionemque eluer. Vnde &  
sufficit ad negandum sacramentum, tum publice, si su-  
spicio publica sit; tum etiam occulte, non autem publi-  
citer, si occulta sit: perinde ac ante dictum eft de peccato  
notorio vel occulto. In articulo autem mortis, si suspe-  
ctus neget crimen, & alias ostendar signa bona dispo-  
sitionis, quidam (vi idem author memint,) pie sentiunt non  
esse illi negandum sacramentum: tum propter periculū  
aciendi illi in uitiam in tanta necessitate: tum propter  
circumstanciam negationis factę in tali tempore, quæ  
maximi momenti est ad deponendam suspicionem.

QVÆSTION<sup>9</sup> VLTIMA.

*Quibus modis Minister peccet indigne ministrans  
Eucharistia sacramentum.*

**H**anc proponit Suarez *d. fuit. 72. sct. 4.* & respondet.  
Primo. ex parte sacramenti peccati mortaliter si il-  
lud administret alteri sub virtus specie, vel sub sola specie  
ini, faciat enim contra approbatam Ecclesiae consuetudi-  
nem (*quae ne se propter accepto abundam sati indicat Concil. Trid.*  
*72. cap. 2.*) eamq; in re granu, iusta de causa, sancteque  
institutam, prout idem author in *preced. disp. 71. sct. 3.* ple-  
nius tractat; neque id dubium est inter Catholicos: qui  
ad Ecclesiam errare non posse in his quæ ad mores  
totius populi Christiani pertinent.

Secundo, ex parte suscipientis: si in casibus, iuxta antedicta illicitis, ministret indigne accedentibus: aut etiam iis secundum Ecclesias conqueritudinem à tali sumptione remouentur ut infantes, & amentes, & ii in quibus est periculum vonitus vel expunctionis. Cooperatur enim iniuria, quæ tunc sit sacramento, quam vitare tenetur, tanquam fidelis seruus & prudens à Domino super familiam suam constitutus ut det illis cibum in tempore, Matt. 24. Nam infideliter peruersetur agit, non vitans illam.

Tertio, ex parte circumstantiarum; si ministret in tempore interdicto, aut in loco prohibito ab Ecclesia, aut sine vestibus sacris, iuxta Ecclesias morem necessariis, aut sine debito cultu, & cæremoniis visitatis. Peccat enim grauitur in his tanquam inobediens Ecclesiae in re gravi.

Quarto, ex parte ipsius ministri, si existens in peccato mortali ministret hoc sacramentum, pro quo facit nonum documentum traditum in praecedenti libr. 26. cap. ultimo. Neque obstat diversa ratio ministracionis Eucharistie, & aliorum sacramentorum, quod hæc perficiantur per ipsam ministracionem: illa non item: fed eam antecedat. Id enim non impedit quominus Eucharistie ministratio sit a dicto tam sacra, & religiosa, quam est, verbi gratia, collatio Extremæ unctionis consitentis in unctione facta per ministerium: & quin sit ministerium gravissimum, ad quod sancte perficiendum Sacerdos ipse consecratus sit, & speciale gratiam accepit.

## CAPUT V.

## De suscipientibus Eucharistiam quoad obligacionem, qua adstringuntur ad talem susceptionem.

## SUMMARIUM.

- 57 Non modo humanum, sed etiam diuinum datur preceptum sumenda sacra sancta Eucharistia.
- 58 Ratio qua id ostenditur.
- 59 Cur infantes non censeantur perinde obligari ad Eucharistie atque ad baptismi susceptionem: quodque preceptum diuinum sumendi Eucharistiam, non sit ut sumatur sub veraque specie.
- 60 Quomodo ipsum obliget.
- 61 Quomodo preceptum humanum de eadem sumptione datum obliget: quodque Papa nequeat tanta conscientia ipsum tollere.
- 62 Sumenda est Eucharistia ut memoriale Passions Christi: ideoque gravissimum peccatum est indigne sumere.
- 63 Semel sumpsisse Eucharistiam non tollit obligationem denovo sumendi.
- 64 Sumpsisse Eucharistiam in Paschate non tollit obligationem sumendi eam in articulo mortis.
- 65 Tria circa id notanda.
- 66 Non tantum in articulo mortis, sed etiam extra illum, obligatio est iure diuino sumendi Eucharistiam: & pro quo tempore a sit.
- 67 Ido anno in quo satisfactum est precepto Ecclesiæ de sumenda Eucharistia in Paschate, non contingit alia extra periculum mortis, nisi per accidens.
- 68 Melius est communicare frequenter quam raro.
- 69 Defrequentia communionis non potest dari certa regula omnibus communis.
- 70 Quod aliquando in penam criminis negata est Eucharistia in fine vte: iam non est in usu: ita ut nulli vere panitentia ea denegetur.
- 71 Explicatio difficultatis. An peccant iudices qui ratione consuetudinaria recepta in sua provincia, non concedunt Eucharistiam damnatis ad mortem.
- 72 Explicatio alterius difficultatis. An conueniens sit quotidie communicare.
- 73 Obligatio communicandi extra mortis articulum precepto diuino, et tantum ea que determinatur precepto Ecclesiastico quotannis communicandi in Paschate.

- 74 Tempus Pasche quomodo sit accipendum, & qua ratione sumptio Eucharistie sit ad illud determinata.
- 75 Qui omittit communione in Paschate, manet obligatus ad eam sumendam quamprimum potest.
- 76 Ante tempus Paschale communicasse, non tollit obligationem in eo communicandi.
- 77 Impeditus per confessam non communicans in Paschate, quomodo excusat.
- 78 Quos obligat preceptum diuinum de sumenda Eucharistia. Cui amenti ea dari possit, & quando.
- 80 Energumeni quando dari possit Eucharistia.
- 81 Dari potest agrotis semidelirantibus: itemque semifatuis.
- 82 Quos obligat preceptum Ecclesiasticum: & specialiter de pueris.
- 83 In qua parte etatis incipiunt pueri habere discretionem sufficiensem ad Eucharistie sumptionem.
- 84 Ad primam eiusmodi sumptionem non sunt multa virgendi, excepto articulo mortis.
- 85 Possunt iidem pueri in hacre stare iudicio Confessorum, & eorum sub quorum sumi cura, grauitur peccantium, sibi nihil de care carent.
- 86 Tres modi communicandi, & per quem eorum satisfiat precepto de communione.
- 87 An satisfiat communicando tantum sacramenta iter, rationes in utramque partem.
- 88 Quid pro præxi tenendum sit, aliquor documentis declaratur.
- 89 Ex delegatione potest Diaconus Eucharistiam ministrare: iure ordinario vero solus Sacerdos.
- 90 Quem oportet Pastorem esse suscipientem.
- 91 Adiuvenda circa id ipsum.
- 92 Parochus licentiam ministrandi suis Eucharistiam dare potest simplici Sacerdoti, etiam non approbat ab Episcopo ad administranda sacramenta.
- 93 Quis sacerdos in extrema aut gravi necessitate idem potest sine tali licentia: neque extra illam requiritur hanc expressam, sed ei sufficere potest presumpta voluntas Pastoris.
- 94 Quando non impedit quis preceptum Ecclesiæ, communicando in Pascha extra sumparochiam sine Parochi sui licentia.
- 95 Tenenda de oligarione Sacerdotum ministrandi Eucharistiam.
- 96 Tempus quo peculiareiter incumbit proprio Sacerdoti.

**A**LDE propria est nostri instituti consideratio suscipientium Eucharistiam, tanquam tota fere spectans ad rationem indicandi de peccatis. Requiritur autem primo, vt declaremus obligationem quam idem adstringuntur ad talem susceptionem. Secundo, ut respondeamus ad ea quæ inquiruntur de necessariis ad Eucharistiam digne, & cum diuina gratia salutari fructu suscipiendam. Tertio, ut indicemus rationem quæ cum diuino favore Eucharistia sic sumi possit, ut gustus & suavitatis ex Christi presentia sentiantur. Ea autem quæ de obligatione sumendi sacra sanctam Eucharistiam declarandas sunt, ad quinque quæstiones reducuntur. Prima est, An detur aliquid preceptum sumendi sacra sanctam Eucharistiam. Secunda, si detur, quomodo obliget. Tertia, pro quo tempore obliget. Quarta, quos obligat. Quinta, qualis sumptio Eucharistie requiratur ad satisfaciendum eidem obligationi.

## QUESTIO I.

An detur preceptum sumendi sacra sanctam Eucharistiam.

**H**ÆC quæstio non habet difficultatem, sive precepto Ecclesiastico agatur, cum confiteat tale dati, in cap. Omnis viriusque sexus, De penitentia & remiss. in quo præcipitur ut omnes viriusque sexus fideles cum ad annos discretionis peruererint, percipiunt in Paschate Eucharistiam: nisi proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabile causam ad tempus, ab huiusmodi perceptione duxerint abstinentendum esse: alioqui vivi ab ingressu Ecclesiæ arceantur, & mortui Ecclesiastica careant sepulture. Tota ergo difficultas est, An detur preceptum istius.